DIÖZESE
INNSBRUCK

Digitales Archiv

Ablaß

Pfarrarchiv Rietz

07.10.1426

Digitales Archiv

Shelf Mark: 6.7460.A5

CC-BY-NC-ND-Lizenz (4.0)
Creative Commons Namensnennung - Nicht kommerziell - Keine Bearbeitung 4.0 International Lizenz

urn:nbn:at:at-dai-64504

Visual Library

JORDANUS DE Ursinis Miseratione divina Episcopus Albanensis Sacrosancte Romane Ecclesie Cardinalis Apostolice sedis Legatus, Universis et singulis presentes Litteras inspecturis salutem in domino sempiternam. Splendor superne glorie qui sua mundum illuminat ineffabili claritate pia vota fidelium de ipsius clementissima maiestate sperantium tunc precipue benigno favore prosequitur, cum devota ipsorum humilitas Sanctorum precibus et meritis adiuvatur. Cupientes igitur ut Capella sita infra limites parochialis ecclesie in Telfs Brixinensis dioc. que sub vocabulo et in honore Sancti Valentini dicitur esse fundata congruis frequentetur honoribus et a Christi fidelibus iugiter veneretur, eoque libentius fideles ipsi ad eandem confluant quo uberius exinde spiritualis dono gratie viderint se refectos de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi omnibus et singulis vere penitentibus et confessis qui dictam Capellam in Celebritate et festivitatibus Nativitatis domini Circumcisionis Epiphanie parasceven Resurrectionis Ascensionis Pentecostes et Corporis Christi necnon in singulis festivitatibus beate Marie Virginis, et in festo beati Valentini ac in eiusdem Capelle dedicationis et in singulis octavis earundem festivitatum devote visitaverint, centum dies pro qualibet ipsarum festivitatum et octavarum earundem in quibus dictam Capellam visitaverint ut prefertur, de iniunctis eis penitentiis in domino misericorditer relaxamus. In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium presentes Litteras fieri fecimus nostrique pontificalis sigilli iussimus appensione muniri. Datum In Monasterio Stams Brixinensis dioc. ij Nonas Octobris Anno domini Millesimo Quadringentesimo vicesimo sexto Pontificatus domini Martini pape Quinti Anno Nono.

J. de Narnia Secretarius

JORDANUS DE Ursinis Miseratione divina Epus Albanen Sacrosancte Roman Eccle Car-
dinalis Apostolice sedis Legatus Universis et singulis presentes Litteras inspecturis salutem in domino
sempiternam. Splendor superne glorie qui sua mundum illuminat ineffabili claritate pia vota fidelium de ipsius
clementissima maiestate sperantium tunc precipue benigno favore prosequitur, cum devota ipsorum humilitas
Sanctorum precibus et meritis adiuvatur. Cupientes igitur ut Capella sita [illegible] infra limites parochialis ecclie
in Telfs Brixinen dioc que sub vocabulo et in honore Sancti Valentini [illegible] dicitur esse fundata congruis fre-
quentetur honoribus et a Xpi fidelibus iugiter veneretur, eoque libentius fideles ipsi ad eandem confluant quo uberius
exinde spiritualis dono gratie viderint se refectos de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli Apostolorum
eius auctoritate confisi omnibus et singulis vere penitentibus et confessis qui dictam Capellam in celebritate et festi-
vitatibus Nativitatis domini Circumcisionis Epiphanie Parasceven Resurrectionis Ascensionis Pentecostes
et Corporis Xpi necnon in singulis festivitatibus beate Marie Virginis, et in festo beati Valentini ac in eiusdem
Capelle dedicationis et in singulis octavis earundem festivitatum devote visitaverint, centum dies pro qualibet
ipsarum festivitatum et octavarum earundem in quibus dictam Capellam visitaverint ut prefertur, de iniunctis
eis penitentiis in domino misericorditer relaxamus. In quorum omnium et singulorum fidem et testimo-
nium presentes Litteras fieri fecimus nostrique pontificalis sigilli iussimus appensione muniri. Dat In Monasterio
Stams Brixinen dioc ij. Non Octobris Anno domini Millesimo Quadringentesimo vigesimo sexto
Pontificatus domini Martini pape Quinti Anno Nono.

No 4. II

Abloſsbrief von Ao 1426.